DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
REMEDIIS PURGANTIBUS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICI DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JACOBUS WOODFORDE,

Anglus,

SOCIET. WERN. NAT. HIST. SOC.,

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOC. EXTRAORD.;

NECNON

SOCIET. PLIN. EDIN. SOC. ET PRÆSES ANNUUS.

AD KALENDAS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXV.

JACOBO HAMILTON SEN., M. D.

NOSOCOMII REGII EDINENSIS NUPER MEDICO SENIORI,

VIRO,

INGENUI ACUMINE, LITERARUM SCIENTIA,

ARTIS MEDICÆ PERITIA,

ÆQUE INSIGNI;

NON MINUS

OB CURAM ANXIAM SEMPER ET SOLICITAM,

IN SE ARTEM SALUTIFERAM DOCENDO,

QUAM

OB PLURIMA AMICITIÆ PIGNORA

SIBI COLLATA,

OPUSCULUM HOCCE,

D. D. C.QUE

J. W.

AVUNCULO SUO

HENRICO CLUTTERBUCK, M. D.

MEDICINÆ PRACTICÆ, &c.

IN *LONDINENSI*

PRÆLECTORI,

NON SOLUM

SCIENTIA ARTIS APOLLINEÆ

PRÆCLARO,

VERUM ETIAM

INGENUIS ARTIBUS

AC

MORUM SUAVITATE ET ANIMI BENEVOLENTIA,

ÆQUE ORNATO;

HANC DISSERTATIONEM INAUGURALEM,

SUMMA OBSERVANTIA,

SACRAM ESSE

VULT

AUCTOR.

ET DENIQUE,

PATRI SUO

JACOBO WOODFORDE, M. D.

HOC OPUSCULUM QUANTULUMCUNQUE,

SUMMA OBSERVANTIA,

OMNIQUE CULTU QUO DECET

ERGA PARENTEM CARISSIMUM,

CONSECRARI VULT

FILIUS.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

REMEDIIS PURGANTIBUS.

Remediis exinanientibus medici jure confidunt in morborum curatione. Inter hæc primum haud dubie tenet locum sanguinis detractio; huic remedio, sed præterea nullis, cedunt purgantia.

His remediis multisque aliis commune est, ut quantitatem humoris in corpore imminuant; purgantia quidem et cætera quæ augenda secretione effectum præstant, partem tenuem humorum tan-

tummodo auferre possunt, attamen eo modo tum magnopere venæsectionis effectum adjuvant, tum sæpissime magis accommodantur ad corpus nimis plenum extenuandum quam ipsa sanguinis detractio. Ex antiquissimis igitur temporibus ad purgantia remedia in curandis morbis medici confugerunt; et hodiernis quidem temporibus in fere nullo morbo non adhibentur, et in multis pene totam constituunt curationem.

Quocirca magnopere interest ut omnia quæ ad purgantia attinent, penitus medico cognoscantur, et operis pretium erit, nisi me sententia fallit, animum paulisper intendere ad præcipuas res, a quibus, in sanandis morbis, utilitas purgantium remediorum pendet.

Quoniam vero hac occasione opus erat, ut de aliqua re scribam, mecum constitui quædam de purgantibus proponere. Nihil quidem novi de re toties agitata proferre queo; sed prodest subinde animo reputare atque recensere res satis notas, præsertim, quoties multiplices sunt atque in se plurima comprehendunt.

Omnia includere, quæ oportet, in hujusmodi opusculo difficile est; sed, ut mihi videtur, maxime digna mentione de hac re proferam, si primo

paucis disseram de modo quo purgantia effectum præstant, atque de generibus ad quæ redigi possunt; dein de remediis quæ cum purgantibus conjunguntur ad effectum eorum adjuvandum; tum de consiliis quibus absolvendis accommodantur; porro de purgantium conjunctione; postremo de præcipuis morborum generibus in quibus usurpanda sunt.

Purgantia tribus omnino modis adhiberi possunt; in ventriculum nempe accipiuntur, in intestinum rectum sub forma liquida vel solida imponuntur, vel super abdomen infricantur. In intestino recto sub forma solida imposita, aut abdomini inuncta, raro multum prosunt; fere nunquam igitur hodie, alterutro modo, medici purgantibus utuntur.

DE MODO QUO PURGANTIA EFFECTUM PRÆSTANT, DEQUE EORUM GENERIBUS.

Recepta in ventriculum triplici modo effectum præstare queunt; fibras intestinorum musculosas ciendo, ita ut motus peristalticus canalis incitetur atque acceleretur, atque ea, quæ continen-

tur, celerius deorsum propellantur et dejiciantur: vel excitando atque irritando extrema vasa excernentia membranæ eorum internæ, ita ut magna muci tenuis copia effundatur, quo solvitur contenta materia et soluta facilius excernitur; vel denique secretionem a jecinore et pancreate augendo, propter consensum, ut videtur, inter hæc organa atque eorum ductuum ostia, quibus succis opus est ad justam intestinorum actionem, et iisdem quantitate auctis, necesse est ut solita intendatur actio.

Secundum hunc igitur diversum operandi modum, medicamenta quæ alvum solvunt, a nonnullis auctoribus in plura genera divisa fuerunt; sed nescio an satis constat quæ medicamenta quoque modo effectum præstent; et dubitandum est an quodvis hujusmodi medicamentum uno tantum modo operetur. Verisimilius enim videtur, idem medicamentum fibras musculosas intestinorum irritare, tum vasa secernentia stimulare, tum humores e magnis glandulis vicinis deducere. Concedendum nihilominus est, multa suadere nonnulla medicamenta magis uno ex his modis quam cæteris prodesse. Omissis vero commentis de ratione qua medicamenta, de quibus agitur, effectum edunt,

utile est in curandis morbis eadem ad genera redigere secundum evidentes quos præstant effectus in corpore.

Alia enim alvum laxant, dejectionesque vix mutant, neque quod ad cætera attinet, corpus afficiunt; alia plures dejectiones plerumque efficiunt easdemque prorsus liquidas reddunt, pulsus arteriarum paulisper infirmant, et totum forte corpus aliquantum debilitant: alia denique plus humoris detrahunt, plane excitant corpus, pulsus frequentiores reddunt, functionesque animales adhuc magis infirmant.

Medicamenta igitur quæ alvum movent, in Laxantia et Purgantia dividi possunt; et purgantia iterum in mitiora, atque validiora sive drastica, diducere licet.

Sub Laxantibus comprehenduntur, Lac ebutyratum, Lactis Serum, Tamarindi Indicæ pulpa, Cassiæ Fistulæ pulpa, Manna, Sulphur sublimatum, Olea et similia.

Mitiora purgantia sunt; varii sales medii; Rhei palmati radix: Cassiæ Sennæ folia; Ricini communis oleum e seminibus expressum.

Ad validiorum purgantium genus referuntur, Convolvuli Jalapæ radix; Convolvuli Scammoniæ

gummi-resina; Stalagmitidis Gambogiæ gummi-resina; Cucumeris Colocynthidis pulpa; Momordicæ Elaterii pulpa; atque Crotonis Tiglii oleum e seminibus expressum; quibus adjici potest, oleum terebinthinæ volatile.

Multa tamen ex medicamentis sub his generibus dispositis, alia quantitate sumpta, ad aliud referenda sunt genus.

DE REMEDIIS QUÆ CUM PURGANTIBUS CONJUNGUNTUR AD EORUM EFFECTUM PROMOVENDUM.

In plerisque morborum exemplis impromptu est alvum medicamentis solvere: nulla enim remedia minus sæpe spem medici fallunt. Nonnunquam vero oriuntur mala, in quibus alvus diu medicamentorum purgantium viribus repugnant, ubi omnia medicinæ auxilia ad adstrictam alvum superandam postulantur.

Plura sunt remedia quæ ad id effectum conferunt. Venæsectio iis auxilio venit, quoties eandem tuto adhibere licet; totum relaxat corpus, spasmum vincere potest, et fortasse fibrarum musculosarum

irritabilitatem auget; sed quocunque modo effectus ejus explicandus est, haud dubitandum est ex multis exemplis ad hanc rem prodesse. Remedium tamen ejusmodi est ad quod non temere est confugiendum, neque sæpe oportet eadem uti ad effectum purgantium promovendum, nisi aliam ob causam postuletur.

Nauseantia cum purgantibus conjuncta haud parvam conferunt operam ad alvum solvendam; pleraque quidem nauseantia per se alvum movent; sed in hoc exemplo, propter aliquem inter cutem et intestina consensum, alvi dejectionem adjuvare videntur.

Opium haud raro magnum offert auxilium purgantibus; in his exemplis, ut videtur, spasmus intestinorum adest, quo soluto, per opii effectum, purgans simul sumptum valet ad alvum dejiciendam.

Fotus quoque sæpe adjuvat, et ejusdem effectus intestinorum relaxationi attribuendus.

Frigidarium et aqua frigida huc quoque conferre dicuntur.

Neque omittenda sunt epispastica, quæ abdomini imposita haud raro tantum præbuerunt opem purgantibus ut alvus, quam prius omnibus repug-

nasset, solitis remediis facile cesserit: quod quidem potissimum est notanda in colica saturnina, in quo exemplo spasmum superando prodesse videntur, verique simile est propter eandem causam utilia esse in aliis malis, in quibus alvus suppressa est.

DE CONSILIIS QUIBUS ABSOLVENDIS PURGANTIA ACCOMMODANTUR.

Medici hodie purgantibus remediis in sanandis morbis utuntur, ad ea consilia absolvenda, nempe ut materiem fœculentem in intestinis retentam expellant, ut justam suam actionem ex quacunque causa læsam atque impeditam, intestinis restituant, ut secretionem e vicinis glandulis haud raro imminutam atque turbatam, promoveant idoneamque reddant, ut diathesin corporis phlogisticam nimiamque ejus plenitudinem auferant, denique ut absorptionem e cavis corporis clausis augeant atque intendant.

Ex plurimis causis quibus homines quotidie objiciuntur, alvus adstringitur etiam in sanis corporibus; exercitationis idoneæ defectus, nonnulla

quoque exercitationis genera, nempe equitatio, vehicula, navigatio, varia cibi genera, et ciborum concoctio parum sana, alvum torpere faciunt, et sæpenumero nisi ad medicamentorum opem homo confugerit, sævissima inde concitantur mala. Et in multis morbis etiam levioribus justa intestinorum deficit actio, atque supprimitur alvus, qua soluta opus est tum ad urgentem morbum sanandum tum ad graviorem avertendum.

Quin et in plurimis malis intestina non modo torpent; sed eorum munus eo usque mutatur atque perturbatur, ut nihil prosit ad medelam donec, remediis purgantibus iterum atque iterum adhibitis, justa intestinis restituatur actio: quod quidem vir omni laude dignus, optimeque de medicinam facientibus meritus, Dr Hamilton Primus, recte atque plene docuit.

Haud raro fit ut secretio jecinoris impediatur, vel ductus ejus calculis vel spasmo aliave causa obstruantur, et in his exemplis purgantia eximium offerunt levamen. Probabile quoque est purgantia posse promovere liquoris pancreatis secretionem ad concoctionem admodum necessariam, siquando hæcce secretio languescat.

Quoties diathesis phlogistica adest, aut corpus

nimia sanguinis plenitudine utitur, manifestum est purgantia posse magnum præbere auxilium. Excretio enim per intestina plerumque satis facile excitatur, et magna humoris copia hoc modo detrahi potest. In nonnullis quoque exemplis fieri potest, ut irritatione contraria morbos remotarum partium, alvi solutio mitiget.

Diu medicis notum est æquilibrium quasi existere inter exhalationem et absorptionem, ita ut quoties exhalatio plurimum aucta sit absorptionem quoque augeri. Si igitur plus humoris in intestina effunditur, plus absorbetur a cæteris partibus; ac si nimium humoris in aliquo corporis cavo collectum est, sæpe aucta in intestina per purgantia secretione, idem prorsus tollitur, malumque hydropicum sanatur.

Alia præterea est lex corporis quæ sæpe in eo exemplo conspicitur; nempe, æquilibrium esse inter secretiones ita ut quoties alia supra modum augetur, cæteræ pro rata parte imminuuntur. Intestinorum igitur secretione copiosiori facta, cæteræ secretiones parciores redduntur, et hoc modo vi solita absorptionis aquæ coacervatio tollitur e cavo clauso, quum primum exhalatio præter naturam in idem temperata fuit.

DE MEDICAMENTORUM PURGANTIUM CONJUNCTIONE.

Duo vel plura remedia purgantia simul sumpta, sæpe reperta sunt magis prodesse quam unum majori copia sumptum. Quoniam haud improbabile est (ut jam dictum est) purgantia alia alio modo effectum præstare, utilitas purgantium conjunctorum fortasse huic causæ attribuenda est. Aliud enim potest fibras intestinorum musculosas excitare, aliud secernentium vasorum oscula stimulare, aliud denique humores detrahere e hepate aut pancreate, ita ut his tribus effectibus conjunctis plus proficitur quam aliquo ex his per se edito.

Fieri quoque potest ut medicamentum non facile in intestinorum succis solvendum, facilius solvatur quoties cum medicamento conjunctum sit, quo multum humoris elicitur, ita ut promptius atque validius quam per se effectum edat *. Quo-

---

* Vide "Pharmacologia," J. A. Paris, tom. i. ad p. 280.

cunque vero modo explicanda est res, de utilitate conjunctionis hujusmodi non dubitandum est, medicumque oportet animum ad eandem intendere. Hic sat erit pauca proponere exempla, ex quibus judicare possumus quantum valeat in sanandis morbis.

Infusum Sennæ cui adjectus est vel Tartras Potassæ, Sulphas Magnesiæ aut Sulphas Sodæ, celerius et cum minore incommodo alvum solvit quam per se sumptum.

Quod quidem plures testantur auctores*, Pulvis Salinus compositus Pharmacopœiæ Edinensis exigua copia sumptus satis plene alvum movet, quod nulli causa attribuendum est nisi mixturæ salium ex quibus constat. Gambogia vel Scammonia cui Alöe adjecta est, magis prodest quam singulatim. Et impromptu est plurima alia exempla ejusdem rei memorare; sed brevitas hujusce disputationis vetat in alia descendere.

---

* Vide " Blane's Elements of Medical Logic."

DE PRÆCIPUIS MORBORUM GENERIBUS IN QUIBUS USURPANDA SUNT PURGANTIA.

Cunctos memorare morbos in quibus proficiunt purgantia longum esset, neque in hujusmodi disputatione necessarium. Et quoniam jam proposita sunt consilia quibus absolvendis accommodantur, ea prætermittam mala in quorum curatione inter medicos plerosque constat medendi consilia purgantia medicamenta postulare; de iis præcipue dicturus in quibus aliquis dubio locus est de eorundem adhibendorum utilitate: atque a febribus atque exanthematis incipiam.

In febre continua quæ usque eo in nostris regionibus subinde grassatur, fere nulla remedia magis utilia sunt quam purgantia. In hoc morbo secretiones cunctæ plerumque imminuuntur, atque, inter cæteras, intestinorum secretio deficit, unde alvus raro non supprimitur. Porro quoties dejicitur alvus, præter solitum fœtet, nigrescit, aut alio modo a sana conditione deflexit; ex quo patet intestina non modo torpere; sed secretiones

quæ fiunt, vitiatas morbidasque factas esse. Hæc vero acris materia in intestinis retenta, non potest non totum corpus irritare, febremque intendere, atque exacerbare, neque facile sanatur malum nisi eadem expulsa justaque tandem intestinis reddita actione, quod fieri nequit citra purgantia iterata. Quoniam vero in febricitantibus vires corporis multum infirmantur, medici diu metuerunt ne alvi solutione frequenti æger, amissis viribus, morbo succumbat. Sed corporis infirmitas a morbo pendet, et quidquid igitur imminuere morbum vel causam quæ eundem sustinet, tollere potest, adeo non magis corpus infirmius reddet, ut vires relictas conservet, amissasque restituit. Purgantia quidem in sano corpore vires animales relaxant; sed harum debilitas non tantum timenda est in febre quantum vitalium functionum infirmitas, et nulla causa æque easdem resolvit ac intestinorum irritatio, quod plurimis exemplis impromptu est ostendere. Patet quoque purgantia non tam corpus debilitare quam acria retenta, ex eo quod vinum aliaque stimulantia minus necessaria fuerunt ad sustinendas febricitantium vires, ex quo tempore medici a Dre HAMILTON docti purgantibus uti in febribus cœperunt.

Purgantia igitur sumpta in primis febris diebus prohibere videntur, ne signa maligna sive typhoidea accedant, et, his etiam jam ortis, commoda sunt, quoniam hoc febris tempore secretiones potissimum vitiantur, ideoque evacuari atque e corpore eliminari debent.

Quanquam autem de purgantium utilitate in febribus mihi magnopere persuadetur, tum eorum auctoritate qui horum usum monuerunt, tum cunctis exemplis febrium hoc modo curatis, quæ ipse hactenus vidi, nolo tamen affirmare non fieri posse ut hoc genus curationis nimis temere peractum atque ultra modum adhibitum, malum inferat atque haud parum noceat. Adversus hunc errorem nimis cavere nequimus; quisquis enim ad medicinæ historiam animum paulisper adverterit, facile sentiet quoties factum sit ut utile medicamentorum genus in desuetudinem abierit prorsusque neglectum sit, quia, propter manifestam utilitatem, nimis sæpe a medicinam facientibus adhibitum fuerat, ex quo in nonnullis exemplis perniciosum evaderat.

Sat autem est in febribus alvum solutam tenere; ad quam rem opus est medicamento miti purganti quotidie sumere, et sæpe non nisi omni

altera die. Sub-Murias Hydrargyri cum Convolvuli Jalapæ pulvere, in initio optime convenit; postea sales medii purgantes, Sulphas nempe Sodæ, Sulphas Magnesiæ, Tartras Potassæ, aut Tartras Sodæ et Potassæ, ex aqua pura vel ex Sennæ infuso solutus, prout opus sit.

Si diarrhœa sponte oritur, sat erit in plerisque exemplis Sulphatem Magnesiæ ex aqua Menthæ piperitæ sumere; ac si dolor urget, Enema emolliens vel etiam anodynum conveniet. Aliquando quidem opiata in ventriculum sumpta postulantur; sed raro usque adeo urget alvus fusa ut hæc sint necessaria.

Ex exanthematis, Scarlatina, Rubeola, Variola maxime purgantibus levantur.

In Scarlatina præ omnibus iisdem uti oportet; quoniam febris plerumque vehemens est; et plurima adsunt diathesis phlogisticæ signa: in multis quoque exemplis, dejectiones æque vitiantur atque in typho ipsa. Multi in Scarlatina metuerunt ne purgantibus corpus nimis infirmaretur, ac ne exanthema acute repelleretur: de priori timoris causa sat jam dictum; et quod ad alteram attinet, jam satis patet ex plurimorum medicorum animadversionibus, purgantia non repellere exanthemata, neque in hoc neque in aliis similibus

morbis. Ex ingenti quoque periculo quod diarrhœa sponte orta in Scarlatina denunciat, alii graviori causa purgantia metuerunt atque prohibuerunt. Vir quidem clarissimus GILBERTUS BLANE, Eques, judicavit Doctorem HAMILTON nimis laudare purgantia in Scarlatina, atque hanc posuit causam, quare non in omni exemplo conveniant. Sed quia diarrhœa sponte orta periculosum morbum denunciat, non necesse est ut purgantia quoque periculum afferant. Diarrhœa in his exemplis oriri potest, vel ab inflammatione membranæ mucosæ intestinorum, vel ab irritatione intestinorum propter sordes quæ a faucibus laborantibus demittuntur, et in utroque casu purgantia possunt hoc ipsum symptoma levare atque tollere; in priori, quia prohibent ne inflammatio vehementior accedat; in altero, quia causam mali expellunt. Et profecto inter multos constat auctores, nulla remedia tantum prodesse ad diarrhœam in scarlatina prohibendam quantum purgantia in initio sumpta.

Doctores WILLAN, BATEMAN et BINNS*,

* Vide BATEMAN, "Practical Synopsis of Cutaneous Diseases," ad p. 79.

confirmant id quod Doctor HAMILTON proposuit; laxantia nempe optime adversus diarrhœam tantum in hoc morbo timendam præcavere. Et Doctor HAMILTON ipse, qui jam multos annos ea curatione usus est, multumque interea inter ægros hujusmodi versatus fuit, nuper affirmavit in eo libello *, quem inter amicos suos vulgavit, se nunquam vidisse quodquam exemplum hujus morbi in quo purgantia non utilia essent.

De Rubeola et Variola fere eadem dici possunt: in his morbis purgantia febrem imminuunt, et sæpe venæsectionem supervacuam reddunt. Neque potest affirmari, eadem aut eruptionem repellere, aut alio quoquam modo ægro nocere. In Rubeola admodum convenire videntur, quoniam morbi qui a mala sana canalis intestinalis conditione pendent, eandem sæpe sequuntur. Et diarrhœa quidem quæ in multis hujus morbi exemplis versus finem sponte incidit, mala pectoris sequelasque ejusdem molestas prohibere putatur †.

---

* Remarks on some passages in Sir GILBERT BLANE's Elements of Medical Logic. By the author of "Observations on the Utility and Administration of Purgative Medicines." Edinburgh, 1821.

† Vide BATEMAN, op. citat. ad p. 63.

Et in Variola proficiunt eadem ratione qua in febre continua, quoniam symptomata quæ Typhoidea nominantur, haud raro tandem incidunt, vix nisi purgantibus prohibenda.

In Febre Infantum Remittente, nulla remedia purgantibus anteponenda sunt. Hic morbus diversas induit formas, et haud raro symptomata Hydrocephali acuti simulat: idem videtur esse morbus cui Doctor HAMILTON, nomen Marasmum imposuit. Inter hujus morbi initia alvus plerumque maxime adstricta est; postea quidem aliquando fit fusa. Dejectiones plerumque admodum vitiantur; aquæ per quam argilla diffusa est simillimæ sunt, et admodum fœtent. Et nonnunquam, etiamsi quotidie alvus reddita est vel sæpius, magna copia, sumptis purgantibus, fæces dejiciuntur; ex quo patet, justam intestinorum actionem deficere, et materiam excernendam retentam fuisse. Si igitur hæc materia vitiata non excernitur, sed usque quantitate augetur, necesse est ut morbus, qui urget, ingravescat atque exacerbetur, ex irritatione cui intestina inde subjiciuntur. Si vero, purgantibus adhibitis, quotidie evacuatur alvus, incremento morbi prohibito, spatium datur quo intestina ad justam suam functionem redire

sinantur. Et quod hic proponitur, satis experientia confirmatur; sumptis enim purgantibus, hic morbus plerumque intra breve spatium sanatur, hisque neglectis diu trahit ægrum, et sæpe insanabiles inducit morbos.

Ex his jam dictis satis patet quam utilia sunt purgantia in febrilibus morbis: proximum est ut pauca dicam de eorundem utilitate in nonnullis morbis longioribus; et in hac parte, limites opusculi hujusmodi non sinunt ut dicam nisi de Chlorosi, Chorea atque Hysteria.

Chlorosis fere propria est puellis; sed ad eandem ætatem plura symptomata, quibus hic distinguitur, morbus, pueros qnoque occupat. Præcipue in infirmioribus oritur, iisque qui intra domum continentur, neque satis exercentur. In fœminis multo major proclivitas est ad alvi duritiem quam in maribus, et a latiori pelvi in illis multo plus materiæ fœculentæ colligi potest quam in his. In fœminis vero infirmioribus, intra domum contentis parumque exercitatis, quæ ad Chlorosin adeo proclives sunt, necesse fere est ut alvus supprimatur. Si materiæ fœculentæ coacervatio igitur non pro causa est quæ hunc morbum excitat, eundem saltem comitatur, ita ut inde exasperetur malum,

atque prohibeatur ne sponte vel remediis sanetur. Remedia vero quæ maxime laudantur, a plerisque, in hoc malo, sunt; varia exercitationis genera, saltatio nempe et equitatio, societas, fontes medicinales, aër ruris, cum roborantibus atque emmenagogis, quibus procul dubio sanitas sæpe restituitur. Sed omnibus quæ cum eodem conflictantur non conceditur, his omnibus remediis uti: cogitandum igitur est qua ratione hæc effectum præstent, ut remedia reperiamus quæ in omnium potestate sunt. Commune vero est his plerisque remediis ut alvum moveant, vel saltem ut causas astrictæ alvi auferant. Fieri igitur potest ut alvi solutio hunc morbum tollere queat. Quod quidem Doctor HAMILTON satis demonstravit, iis exemplis quæ in libro suo eximio de Purgantibus exposuit.

Nunc ad purgantium usum in Chorea transeo. Hic morbus, quod ad indicia quæ genus musculosum afficiunt, satis recte atque lucide in multis auctoribus expositus. Sed symptomata quæ functiones naturales in eodem perturbunt, vix medicorum attentionem ad se vindicarunt. Doctor HAMILTON qui, quadraginta hujus morbi exempla curavit, affirmat, hunc morbum in iis incidere,

quorum valetudo læsa est defectu exercitationis atque diæta parum idonea minusve nutriente; appetitum ciborum varium esse sæpe voracem, abdomen in plerisque durum atque tumidum, alvumque astrictam esse, et tandem concoctionem male perfici appetitumque maxime imminutum. Ex his symptomatis hujus mali fas est judicare, idoneam intestinorum actionem aliquo modo læsam atque turbatam fuisse, ac (ut jam dictum est de Chlorosi) si hic morbus non pendet ab hac intestinorum conditione, saltem eadem sustineri atque in longum protrahi potest. Opinio quidem pro qua Doctor HAMILTON contendit, non satis medicorum commentis de hoc morbo respondet; eadem tamen admodum est probabilis, quoniam alii morbi spasmodici, Epilepsia nempe et Hysteria, ut inter omnes constat, sæpe ab intestinorum irritatione pendent. Utcunque vero res se habeat quod ad causam hujus mali, ex exemplis quæ Doctor HAMILTON exposuit, in quibus sanitas reddita fuit purgantibus, mihi quidem persuadetur nulla remedia tantum prodesse in Chorea quantum purgantia.

Multique auctores nuper confirmarunt omnia quæ de hujus morbi curatione in libro Doctoris

HAMILTON proposita sunt. Inter quos vir jam dictus GIBERTUS BLANE, Eques, fatetur se fœminam hoc morbo laborantem purgantibus sanasse secundum Doctoris HAMILTON rationem, e qua ingens materiæ fœculentæ copia dejecta fuit, antequam ad sanitatem restituta fuit. Idem autem medicus negat purgantia semper necessaria esse, affirmatque frigidarium atque tonica posse intra brevius spatium hunc morbum sanare. Si vero liceat credere Doctori HAMILTON, frigidarium ipsum alvum solvit, ideoque hoc remedium non alio modo prodest in Chorea nisi alvum laxando. Inter cæteros qui purgantium utilitatem in Chorea confirmant, certior factus meo Patre eodem nunquam spem illius fefellisse in sanando hoc morbo. Quum vero prima signa Choreæ sese ostendere incipiunt, purgantia modica sumpta morbum compescunt, prohibentque ne in magnum increscat. Sin medicus non accersitur donec malum jam plene corpori insedit; purgantia validiora necessaria sunt, quæ sæpius sunt iteranda.

Doctor HAMILTON, non contentus argumentis quæ suæ curationes præbent, de purgantium profectu in hoc morbo, plura citavit, ex quibus patet, viros olim celeberrimos in medendi arte, nem-

pe SYDENHAM, DE HAEN et STOLL, Choream eodem modo sanasse, etiamsi non videntur semper medelam vero remedio attribuisse.

Ut ad Hysteriam tandem procedam, multa symptomata quæ in hoc malo vexant, plane a canali alimentario turbato atque laboranti oriuntur, qualia sunt, alvus astricta, aliquando fusa, flatus, ructus fœtidus aut acidus, vomitus, atque globi sensus per abdomen se volventis. Fieri potest ut affectus ventriculi et intestinorum insolitus sit vitium primarium, a quo cuncta pendent mali symptomata; et multa argumenta proferri possent, si opus esset, ad hanc opinionem confirmandam. Non vero necesse est ut res ita se habeat, ad purgantium utilitatem in eo malo; corpus enim humanum non inanimatæ materiæ simile est, quod ad causas et effectus mutationum quæ fiant. Neque symptomata quæ incidunt in morbis, plerumque referenda sunt ad unicam causam, a quo cunctæ penderent mutationes quæ observantur; prima quidem mutatio quæ, in corpore a sanitate deflexuro, fit, alias mutationes gignit, hæque invicem alias, donec symptomata quibus distinguitur morbus, afferantur. Sed prima causa sæpe efficacior fit mutationibus quas ipsa creavit, et ita deinceps de

cæteris, ut omnes mutationes quæ factæ sunt invicem atque mutuo inter se agunt, atque augentur.

Quamobrem morbus sæpe protrahitur atque augetur, non tantum prima causa adhuc existente, quantum perturbatione alicujus functionis quam excitavit, qua per remedia submota, sæpe causa primaria evanescit, et totus morbus tollitur. Ideo in exemplo de quo agitur, Hysteria nempe, perturbatio intestinorum fortasse non est prima morbi causa; sed ipsa alia causa inducitur; hoc tamen intestinorum vitium pro magna morbi parte est, quo sublato haud incredibile est totum decessurum esse malum.


Hujusmodi tamen commentis minime confidendum est in morborum curatione. Experientia optime medicos docet, qua duce raro falluntur. Et, ut mihi videtur, experientia satis purgantium utilitatem in Hysteria ostendit. Doctor HAMILTON, pluribus exemplis expositis, docuit quantum in hoc morbo valeant; et quantum ipse hunc morbum vidi, prorsus ad illius sententiam de hac re accedo. Non his solis quidem confidendum est; sed nulla remedia videntur tantum ad sanitatem reddendam conferre. Eximium


eorundem effectum nuper vidi Nosocomio hujus urbis, in fœmina hoc morbo laborante, quam Cl. Doctor GRAHAM curavit; in eo exemplo morbus diu perstiterat, per plures etiam menses et post brevi spatium, sumpto sæpius infuso Sennæ cum Sulphate Magnesiæ, ad sanitatem restituta fuit.


Impromptu est plura exempla proponere: sed sat jam de hac re dictum est.

Neque tempus sinit ut de aliis pluribus morbis dicere, in quibus purgantia proficiunt; huic enim opusculo jam finem imponere oportet. Nolo tamen hanc prætermittere occasionem testandi quantum Vir Clarissimus Doctor HAMILTON, de medicis meritus sit, quantumque toti hominum generi profuerit, docendo quam valeant Purgantia in sanandis iis morbis quibuscum homines maxime conflictantur.

FINIS.


F. 3.


F. 1.


F. 2